

I.

Quaestiones Valerianae.

Quae epitome Paridis e codice Vaticano ab Angelo Mai a. 1828 edita est, eam magnum quidem adiumentum ad Valerii Maximi libros emendandos esse homines docti consentiunt, sed maiore ei quam codicibus auctoritas concedenda sit, an caute illa adhibenda, inter se dissident. C. enim Kempfius, qui in praefatione ed. p. 51, etsi eximiam sibi opem tulisset, tamen magna cum cautione dixisset ea utendum fuisse, quod aliquoties scriptor non solum in verbis sed etiam in rebus enarrandis magno opere cum Valerio dissentiret, a C. Halmio in emendationibus Valerianis Monachii a. 1854 editis et in editione p. 1. vituperatus est, quod ne ipse quidem hunc emendationis fontem plane exhausisset, sed in iis partibus, quas epitome haberet, easque persaepe ita, ut ipsa Valerii verba aut integra aut paulum inmutata adparerent, codicibus Valerianis nimium magnam fidem habuisset. codicem enim Vaticanum, ut vetustate Bernensem Valerii aequaret, ita praestantia etiam superare, cum Paridi librum ad manum fuisse adpareret, qui et integritate et bonitate omnibus, qui hodie exstarent, multum praestaret. atque ut doceret, quem fructum epitome emendationi librorum Valerianorum ferre posset, eius ope multos locos, qui quin sani essent nunquam quisquam ante eum dubitaverat, correxit. a quo Kempfius in praeclara commentatione, quae inscripta est novae quaestiones Valerianae Berol. 1866 ita se defendit, ut Paridem, in quibus totus e Valerio penderet, ne ea quidem diceret ita excerptis, ut non ubique quaedam constituisset aliter atque in suo Valerio invenisset. inmutasse enim ad arbitrium verborum ordinem, alia Valerianis substituisse vocabula, quae insolentius dicta viderentur, ea ad vulgarem dicendi normam revocavisse multaque alia sibi suo iure indulsisse. certam eam tenendam esse rationem, ut, quae essent tradita a codicibus, si ita, ut essent tradita, a Valerio scripta esse possent, intacta relinquerentur, etiamsi epitomae scriptura aliquo nomine praeferenda videretur. quod ut argu-

mentis probaret, primum e primi libri nonnullis capitibus lectionum variarum conspectum, unde, quae inter utrumque scriptorem intercederet discrepantia, colligi posset, adposuit, tum multos locos iniuria ab Halmio correctos esse recto et sano iudicio demonstravit. Adecrata hac et subtili disputatione mea quidem sententia effectum est, ut vix dubium esse possit, quin quam auctoritatem Halmius epitomae ad Valerii Maximi libros emendandos tribuerit, ea tribui non queat. quod ego eo libentius homini docto concedo, quia, priusquam eius commentatio in manus meas veniret, idem iam intellexeram mihi demonstrare proposueram. itaque, ut in tali re fieri solet, accidit, ut multa, quae collegeram argumenta, ille iam publici iuris fecerit. sed totam materiam tantum abest ut exhausserit, ut etiam in primis tribus libris, quos perlustravit, non nulla memoratu dignanone adtenderit. e quibus primum pauca proferam, tum de aliquot Paridis et Valerii locis agam, qui nondum satis emendati videantur esse.

In verbis 3, 2, 19 idem alio proelio legionis Martiae aquiliferum ineundae fugae gratia iam conversum faucibus comprehensum in contrariam partem detraxit Halmius egregiae Perizonii emendationi, qui lenissima mutatione pro detraxit scripsit retraxit, Paridis scripturam retorsit, quippe qui ipsa Valerii verba repetiisset, praetulit. etiam Kempfius in editione ad h. l. se dubitare dicit, an illud substituendum sit, quia Paris in toto huius exempli compendio iisdem omnino verbis usus sit. miror hominem doctum, qui haud scio an nunc aliter indicaturus sit, nihil in commentatione de hoc loco dixisse. novi praeterea duos locos, quos eadem de causa emendavit. 2, 8, 6 in vv. moris est ab imperatore ducturo triumphum consules invitari ad cenam, deinde rogari ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharet, maioris in eodem convivio sit imperii ac ante deinde intrusit. sed asyndeton nihilo deterius copulata oratione esse recte Kempfius l. l. p. 17 docuit. aliud supplementum infersit, quasi rimas expleret, 4, 1 ext. 5 Stasippus Tegeates, hortantibus amicis ut gravem in administratione rei publicae aemulum, sed alioqui probum et ornatum virum qualibet ratione vel tolleret vel summoveret, negavit se facturum, ne quem in tutela patriae bonus civis locum obtineret, malus et improbus occuparet, ubi post gravem inseruit sibi. eiusmodi additamentis inutilibus e Paride petitis aliis quoque locis Valerii sermonem dilucidiorum ille reddere studuit. nam nullam profecto video causam, cur 6, 3, 3 ne in C. quidem Vettieno, qui sinistrae manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, severitas senatus cessavit ante sinistrae inseruerit sibi, neque cur 6, 2, 1 Priverno capto interfectisque qui id oppidum ad rebellandum incitaverant, senatus indignatione accensus consilium agitabat quidnam sibi de reliquis quoque Privernatibus esset faciendum. ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabatur, eodem tempore et victoribus et iratis subiecta. ceterum cum auxilium unicum in precibus restare animadverterent, ingenui et Italici sanguinis oblivisci non potuerunt. princeps enim eorum in curia interrogatus quam poenam mererentur, respondit: 'quam merentur qui se dignos libertate iudicant' post poenam addiderit cives eius pati. patet enim principem Privernatium a consulibus interrogatum esse, quam poenam reliquos Privernates meritos esse censeret. neque quicquam Livii, quem ille testem emendationis adfert, verba 8, 21 unus ex Privernatibus legatis interrogatus a quodam tristioris sententiae auctore, quam poenam meritos Privernates censeret docent. — Omnes praeter

Halmium intellexerunt in vv. 7, 7, 7 multo Q. Metellus praetorem urbanum severiorem egit quam Orestes gesserat. qui Vecillo lenoni bonorum Vibieni possessionem secundum tabulas testamenti non dedit, quia vir nobilissimus et gravissimus fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit, nec aut factum illius conprobare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat cet. Valerium dixisse, Q. Metellum Vecillo lenoni Vibieni bona, etsi eorum heres testamento institutus esset, possidenda non tradidisse. supplemento igitur epitomatoris, qui post testamenti inseruit petenti, carere possumus. Huic quidem tale quid addendum fuisse, ex verbis eius adparet Q. Metellus praetor urbanus Vecillo lenoni bonorum Vibieni possessionem secundum tabulas testamenti petenti non dedit. idem dicendum est de vv. 8, 14 ext. 3 Aristoteles Theodecti discipulo oratoriae artis libros quos ederet donaverat, molesteque postea ferens titulum eorum sic alii cessisse, proprio volumine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. nam si quid video e Valerii verbis satis adparet Aristotelem oratoriae artis libros ita Theodecti donasse, ut tanquam sui essent ederet. itaque pro suis, quod Paris addidit ante ederet, supervacaneum est. sed redeat oratio, unde egressa est. satis mihi demonstrasse videor, trium locorum eorum, de quibus disputamus, non necessarias esse emendationes. quaeritur igitur, num satis gravis emendandi causa ea haberi possit, quod Paris ad verbum verba Valerii repetierit. sed hoc Halmius ipse refutavit, qui alia eiusdem generis exempla emendare non ausus est. quorum e larga copia, ne longus sim, duo eligam. 3, 3, 2 Pompei etiam probabilis virtus, qui, dum legationis officio fungitur, a rege Gentio interceptus, cum senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum praebuit eaque patientia regi desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi incussit. Paridis haec verba sunt Pompeius dum legationis officio fungitur, a rege Gentio interceptus, cum consilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum praebuit, et ea patientia regi desperationem quicquam ex se cognoscendi iniecit. quid igitur in his incussit non correxit? adde quod in codice Bernensi traditum est excussit, quod secunda demum manus correxit. alterum exemplum est 1, 6, 10 Octavius consul dirum omen quem admodum timuit, ita vitare non potuit. e simulacro enim Apollinis per se abrupto capite et ita infixio humi ut avelli nequiret, armis cum collega suo dissidens Cinna, praesumpsit animo ea re significari exitium suum. pro humi Paris scripsit humo. sed haec hactenus.

Non perspexit Halmius proprietatem elocutionis Valerianae, cum in vv. 2, 5, 2 qui cum ad visendum aegrum collegam suum venisset neque a nobilibus sedendi loco reciperetur, sellam curulem adferri iussit e Paride et Nepotiano proveniret scriberet venisset. Livium quoque proferre poterat, qui scribit 9, 46 ad collegam aegrum visendi causa Flavius cum venisset consensuque ... ad surrectum ei non esset, curulem adferri sellam iussit. sed nihil in Valerii verbis mutandum. non enim id agitur, ut eius sermonem ex optimis scriptoribus corrigamus. conferas simillimum locum 5, 6, 2 cum in media parte fori vasto ac repentino hiatu terra

subsideret responsumque esset ea re illum tantum modo compleri posse, qua populus Romanus plurimum valeret, Curtius equum conscendit. cur in his pro subsideret non scripsit subsedisset, quod et latinum est et apud Paridem legitur? sed alia quoque tempora modosque eum aliquotiens mutavisse iam Kempfius p. 10. docuit. addam non nulla exempla. 5, 1 ext. 2 si eos qui nos amant interficiemus, quid eis faciemus, quibus odio sumus? ceteris omnibus verbis servatis scripsit interfecerimus. 7, 2 ext. 1 idem ab adulescentulo quodam consultus utrum uxorem duceret an se omni matrimonio abstineret, respondit, utrum eorum fecisset, acturum poenitentiam. haec ad verbum repetiit immutato vocabulo fecisset in fecerit. Accedit ut alia quoque dicendi genera scrupulum Halmio iniecerint. nam ad ea, quae 2, 10, 2 sunt ad eundem Africanum in Linterna villa se continentem complures praedonum duces videndum eodem tempore forte confluerant adnotat 'videndum B., videndi eius causa P. haud scio an meliore latinitate'. neque vero hoc offensioni erit, qui comparaverit 4, 4, 5 Atilium, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium populi Romani suscipiendum, semen spargentem viderunt.

Non intellego, cur ad Paridis verba 3, 2, 2 Cloelia nocturno tempore custodia egressa patriam liberavit adnotaverit 'an custodiam'. nam quamquam Valerius ita scripsit, tamen scire ille debebat verbum egrediendi et cum ablativo casu et cum accusativo ab utroque scriptore coniunctum esse. apud Valerium ablativum invenimus 2, 6, 7 vita; 5, 7, 3 domo; 7, 3 ext. 1 porta; 7, 3 ext. 10 urbe; 7, 8, 9 curia; 8, 15, 10 nave; 9, 1 ext. 6 moenibus; 9, 3, 1 urbe; 9, 5, 3 balineo; 9, 8, 2 convivio; 9, 12 ext. 2 moenibus; accusativum 1, 1, 2 urbem; 1, 8 ext. 4 portum; 2, 6, 10 moenia; 3, 2, 15 cubiculum; 3, 3 ext. 2 patriam; 5, 6, 3 portam; 8, 7 ext. 14 vitam; 9, 6 ext. 2 urbem; 9, 12 ext. 10 periculum. Paridis lectio cum Valeriana congruit 7, 3 ext. 1; 9, 1 ext. 6; 9, 6 ext. 2; 9, 12 ext. 2. aliis locis aliter locutus est. sed iure mirere quod 1, 1, 2 urbe egredi Halmius emendandum non censuerit, cum Valerius scripserit urbem. epitomator solus hoc verbo usus est 1, 4, 2 ianua; 2, 6, 7 vita; 1, 7, 4 curiam. — Similis fere ratio est loci 8, 6, 2 cum exercitu in urbem inrumpente, ad quem Halmius adnotat 'in omisit Paris, ut est 8, 7 ext. 7'. neque enim cum haec additurum fuisse puto, nisi scribendum suspicatus esset urbem. sed inrumpendi verbum cum solo accusativo uno tantum loco Valerius coniunxit 3, 2, 8 exercitum; ceteris locis praepositione in usus est, ut 3, 2, 20 in castra; 3, 2, 1 in urbem (uterque); 5, 6, 5 in hostium agmen; 6, 9, 14 inrupit magis in curiam quam venit; 9, 15, 5 in domum (P. domum). neque magis video cur ad verba 5, 5, 4 subiecta face addiderit 'subdita P., ut est 4, 7, 1; 9, 2 ext. 9', cum 4, 6, 3 scriptum est subiectis facibus.

Iniuria idem audaci translationi 3, 2 ext. 7 ad ultimum se ipse flammis immersit, cuius similem neque apud Valerium neque apud alium quemquam se invenisse dicit, epitomae lectionem se inmisit praefereendam esse censuit. concedo equidem inusitatam esse hanc locutionem, prorsus ferri non posse nego. nam quid interest dicasne flammis se immergere an praeceptis alicuius, ut est 4, 1 ext. 1, ubi Paris scripsit penitus intendit. non tam confidenter Valerio verba 7, 3 ext. 5 Demosthenes ei patronus adfulsit abiudicare ausus est, cum adderet 'cf. tamen 7, 6 ext. 1'. quae cum ipse defendat, non est quod ego eorum pa-

tronus existam. epitomatores autem Valerii translationes saepe concoquere non potuisse proque raris quaesitisque tritas substituisse multa exempla docent. sufficient non nulla velut 3, 2, 13 gladio praecordia sua transverberavit (P. se traiecit.); 5, 5, 4 pectus transverberavit (P. se transfodit.); 8, 1, absol. 3 ad pedes se Memmi prostravit (P. se genibus subiecit.); 7, 3 ext. 8 aliqua suspicione trahendi belli respersit (P. notavit). quod vero Halmius verba 5, 1 ext. 2 Thrasippus concitatae temulentiae impetu eVectus os eius sputo respersit e Paride ita emendavit, ut scriberet evictus probare equidem non possum. nam ut concedam, litteras e et i facillime confundi potuisse, tamen eVectus rectius dictum esse puto quam evictus. homo enim temulentiae impetu eVehi i. e. abstrahi potius dicitur quam evinci. exempla Valerius ipse nobis suppeditat 2, 2, 9 epularum hilaritate ac vino largiore proVecti; 6, 2, 4 iuvenili impetu ac studio accusationis proVectus; 7, 8, 2 animi sui inclinatione proVectus; 5, 9, 1 impetu irae abstractus. Liv. 42, 62 spe vana eVectus.

Kenpfius, qui Halmium male donum militiae 2, 7, 15 e Paride in donum militare mutasse p. 16 diceret, documenti causa simillimum locum adferre poterat 2, 7, 6, ubi ordo militiae et disciplina militaris scriptum est. Eodem referendum est, quod 2, 2, 4 dicit pro hostium Samnitium turba veram epitomatoris lectionem videri hostilis itemque 2, 6, 17 pro Numidiae reges Numidae r. sed conferas 2, 2, 8 quaestores aerarii (gen.), P. aerarios; 2, 3, 3 equitatus Campanorum, P. Campanus, Liv. 26, 4, 6 Campanorum; 2, 10, 3 principes Macedoniae, P. Macedonum; 1, 1 ext. 3 more Graeciae, P. Graecorum; Cic. de D. N. III, 43, 83 Graeciae; 8, 15, 4 candidatus aedilitatis P. aedilicius; 1, 6, 8 in Lucanis, P. in Lucania; 9, 5 ext. 1 instituta Persica, P. Persarum.

Quae de usu pronominis uterque em. V. p. 15 Halmius disseruit, ea non ab omni parte probari possunt. nam cum in vv. 8, 11, 2 eo cum forte mane uterque (Caesar et Spurinna) in domum Domitii convenissent scripturam cod. B. convenissent in convenisset mutaret, epitomatoris simile exemplum non vidit 3, 2 ext. 9 cum pestifera seditione Syracusarum tota Gelonis stirps consumpta esset et unica superesset Harmonia, cum ad eam impetus ab inimicis fieret, nutrix subornatam aequalem puellam hostilibus gladiis subiecit, quae ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset conditionis proclamavit. admirata puellae constantiam Harmonia se esse quam quaererent illis professa est et ita utraque perierunt. totum hunc locum adscripsi, ut eius ope Livii verba 1, 5, 7 ad regem impetum facit defenderem. Nam impetum facere ad aliquem Kochius et Weissenbornius latinum esse negant.

Nollem in verbis 7, 2, 4 L. Fimbria M. Lutatio Pinthiae iudex addictus de sponsione, quam is cum adversario quod vir bonus esset fecerat, nunquam id iudicium pronuntiatione sua finire voluit, ne aut probatum virum, si contra eum iudicasset, fama spoliaret aut iuraret virum bonum esse, cum ea res innumerabilibus laudibus contineatur pro quod solemnem sponsionis formulam ni substituisset. nam ut sibi constaret, alterum quoque locum 6, 1, 2, ubi Valerius eadem formula usus est, corrigere debebat. neque ut ei adsentiar me Ciceronis auctoritas, qui de off. 3, 19, 77 iisdem fere verbis hoc exemplum enarravit, movere potest. Valerius enim, quae ab aliis scriptoribus mutuaretur, ea non ita mutatus est, ut singula verba repetierit, sed ingenio suo mutavit. non est igitur cur in hoc exemplo contineatur, quod explicari potest, in contineretur.

mutetur, neque sane causa videtur esse cur in vv. 6, 2, 9 Diphilus tragoedus, cum Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo haec sententia continetur, miseria nostra magnus est, directis in Pompeium Magnum manibus pronuntiavit cum Perizonio scribatur es. Nam recte iam Kempfius ad h. l. mutationem neque necessariam esse dixit, cum non ipsum illum versum, sed sententiam dumtaxat eius reddidisset Valerius, neque probabilem, quoniam tertiam personam Paridis quoque compendium confirmaret. apud Ciceronem enim, cuius auctoritate Perizonius utitur, haec sunt ad Att. 2, 19, 3 ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus est; nostra miseria tu es Magnus, millies coactus est dicere. accedit quod Valerius scripsit versus in quo haec sententia continetur, quae quidem verba non cum Halmio, ut emendatio es possit intellegi, cum Paride in quo sententia contineretur mutanda sunt. Non magis probari potest, quod idem in vv. 8, 1, abs. 8 carmen, in quo puerum praetextatum et ingenuam virginem a se corruptam poetico ioco significaverat praepositionem in ante quo addidit. similiter enim Valerius locutus est 8, 13 ext. 1 constat eum, quem ad modum Cicero refert libro, quem de senectute scripsit, nullo frigore ut caput tegeter adduci potuisse. ubi pariter atque h. l. non totus liber sed pars tantummodo significatur. In libris optimis exstat 6, 2 ext. 3 Theodorus Cyrenaeus Lysimacho regi mortem sibi minitanti 'enimvero' inquit 'magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim adsecutus es'. cumque hoc dicto accensus cruci eum suffigi iussisset, 'terribilis' ait 'haec sit purpuratis tuis, mea quidem nihil interest humi an sublime putescam, pro quo cur novissimus editor e Paride et Cicerone scripserit humine, non video. cf. 8, 1, abs. 7 respondit nihil sua interesse nocensne an innoxius periret, ubi Paris ne omisit. Valerius autem hoc exemplum ex duobus Ciceronis locis conglutinavit Tusc. V § 117 Theodorus Lysimacho mortem minitanti 'magnum vero' inquit 'effecisti, si cantharidis vim consecutus es. et ibid. I § 102 cui cum Lysimachus rex mortem minitaretur 'istis quaeso' inquit 'ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest humine an sublime putescat. haec qui inter se comparaverit, nihil mutandum esse mihi concedet. 1, 1, ext. 3, ubi haec sunt Dionysius mensas argenteas atque aureas e fanis sustulit, quodque in his more Graeciae scriptum erat bonorum deorum eas esse, uti se bonitate eorum praedicavit nescio an verba eas esse, quae, postquam Kempfius dixit ex interpretatione genitivi casus bonorum deorum orta esse videri, cum simul a Paride et Cicerone aliena essent, ab Halmio deleta sunt, defendi possint. Valerium enim non inscriptionem ipsam sed tantummodo sententiam eius adtulisse puto, quod non ut alii dixit in scriptum erat sed scriptum erat. corrigere vir doctus non ausus est verba 8, 14 ext. 1 Themistocles theatrum petens cum interrogaretur cuius vox auditu illi futura esset gratissima, dixit 'eius a quo artes meae optime canentur', sed vera ei videtur Paridis lectio virtutes pro artes, praesertim cum eadem voce Cicero p. Archia § 20 usus sit. sed videamus scriptorum verba. Paris dixit eius, a quo virtutes suae optime referrentur, Cicero Themistocles dixit, cum ex eo quaereretur, quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret, eius, a quo sua virtus optime praedicaretur. quid multa? nemo, opinor, verbum a codd. traditum sanum esse non intellet. quid? si talia Halmius emendanda esse putat, cur Paridis verba 7, 2 ext. 2 idem compendiarie via iuvenes ad gloriam pervenire dicebat, qui ita agerent,

ut quales videri vellent tales etiam essent non correxit, cum apud Valerium et Ciceronem de off. II § 43 sit id agerent? quanto opere quis in his rebus falli possit, Halmius ipse testis est, qui em. V. p. 32 verba tonsorum quoque metu tondere filias suas docuit: quarum ipsarum, postquam adultae aetati adpropinquabant, manibus ferrum non ausus committere instituit ut candentium iuglandium nucum putaminibus barbam sibi et capillum adurerent ex Ciceronis Tusculanis 5 § 58, ubi recte esset ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent, emendavit, in editione mutata sententia codicum scripturam retinuit.

Haec habui, de Paridis epitome quae dicerem. atque illud mihi iam demonstrasse videor, lectiones eius ad Valerii Maximi libros emendandos non arcessendas esse, nisi ubi codicum scriptura depravata sit. laudandus autem Halmius est, quod eam denuo excussam Valerii verbis subiecit. in qua etsi ipse non pauca menda sustulit, tamen non nulla restant, quae mihi videntur corrigenda esse.

1, 1, ext. 2 exemplum incipit a verbis Amsinus Masinissa rex. pro mendoso Amsinus Mai coniecit at non similiter, quae verba Valerii sunt. neque vero homo doctus consuetudinem epitomatoris perspexit, qui nunquam exempla exordio praeparat. inde igitur manifestum est delendum esse Amsinus. idem vidit Eberhardus *Zeitsch. f. Gymn.* 1866 p. 156.

1, 8, 3 in his verbis captis a Furio Camillo Veis Junonis Monetae simulacrum conpertum, cum a milite interrogatum esset an Romam vellet transferri, velle se respondit, pro conpertum e Valerii verbis quorum ab uno per iocum interrogata dea an Romam migrare vellet, velle se respondit nullo negotio verum esse intellegimus cum per iocum a milite interrogatum esset.

2, 7, 15 in verbis qui Cannensi pugna superfuerant ante Cannensi praepositio e videtur inserenda esse. eodem modo verba 2, 9, 5 lex quae coercendis conviviorum sumptibus lata est sananda sunt. nam praepositio de ante coercendis intercidisse videtur. cf. Valerii verba lex de coercendis sumptibus.

2, 10 ext. 2 Halmius adnotare debebat non intellegi posse, quae Paris scripsit Xenocrates Atheniensis testimonium dicere coactus, cum ad aram accessisset, ut more eius civitatis iuraret, omnia se vere rettulisse, vetitus est iurare, sinceritati eius concedendum existimantibus. fortasse ita legendum est rettulisse, a iudicibus vetitus est iurare sinceritati eius id concedendum existimantibus.

3, 2, 18 in verbis cum tribuni plebis maximos in civitate seditionum motus excitarent, M. Aemilius Scaurus iam senex exhortatus Marium, sextum consulatum gerentem, ut rem p. vindicaret. iussit aut post vindicaret interpungendi signum delendum est aut post exhortatus vocabulum inserendum est.

3, 2, 23 Caesius Scaeva cum pro eo castello cui praepositus erat dimicaret delendum videtur eo.

4, 6, 3 in hisce verbis M. Plautius imperio senatus cum classem in Asiam reduceret, Tarenti amissa uxore Orestilla inter officium ploratus se occidit. quem amici, sicut erat, togatum pariter cremarunt: et locus modo Tarenti *δύο φιλούντων* dicitur vocabulum pariter, quod non intellego, fortasse e Valerio mutandum est in cum ea.

Non sunt tolerabilia, quae scripta sunt 4, 6, ext. 3. Minyae a Lacedaemoniis recepti

cum regnum arte temptarent in custodiam missi sunt. in his quid sibi velit arte temptare non video. Valerius dixit regnum adfectantes. quo vocabulo quamquam Paris non nunquam usus est velut 6, 3, 1 (ter), tamen literarum similitudine magis commendari videtur adtemptarent. cf. Val. 9, 1, 9 Catilina nefarie adtemptatae patriae poenas dedit.

5, 5, 1 apud Paridem haec sunt Scipio Africanus, tametsi rarissima familiaritate Laelio iunctus erat cet. scribamus cum Valerio artissima f.

5, 6, 2 in his cum in media fori parte vasto hiatu terra subsedisset..., Curtius nobilis iuvenis interpretatus urbem nostram virtute et armis excellere, tumque se in illud profundum egit quamquam Paridis verba praestare non possum, tamen mihi persuasum est aliquid intercidisse et hanc fere fuisse sententiam Curtius interpretatus urbem.. excellere equum conscensum in illud profundum egit. Valerii enim verba haec sunt Curtius interpretatus urbem.. excellere equum conscendit eumque in illud profundum egit.

7, 2 ext. 17 haec sunt Herennius Pontius ... respondit. et interrogatus cet. delendum est et.

7, 3, 10 in verbis pervulgari et permissa venire uti vox pervulgaris, quam in lexicis frustra quaesivi, e Valerio in vulgaris mutanda est. praegreditur iret.

7, 4, 3 apud Paridem est panes iacere compluribus locis coeperunt. sed gravi illum mendo liberabimus, si e Valerio scribemus e compluribus l.

8, 11 ext. 1 in verbis Pericles quae ab Anaxagora acceperat, id eis disseruit dele id.

9, 1, 9 haec sunt apud Paridem Catilina amore Aureliae Orestillae correptus, cum unum impedimentum quominus nuptiis iungeretur vidit cet. scribendum erit iungerentur.

Non possunt intellegi, quae scripta sunt 9, 4 ext. 1. Ptolemaeus inposita omni pecunia navibus in altum processit ut in mare abiceret: deinde detractus avaritia insita non sustinuit propositum exsequi. pro detractus haud scio an victus simileve aliquid scribendum sit.

9, 9, 2 in his verbis C. Cassius Titione centurione misso, ut specularetur qui status M. Bruti esset, tardiusque eo redeunte, interceptum credens se occidit post interceptum inserendum erit eum. item in verbis 9, 5, 4 cum ad M. Antonium triumvirum cenantem Caesetii Rufi senatoris caput esset adlatum, diu diligenterque considerato 'ego hunc' inquit 'notum non habui' post considerato addendum videtur eo.

His adiungo emendationem epitomae Januarii Nepotiani.

1, 12 legendum est plastroque veheret pro eveheret. cf. Val. et P. 1, 1, 10.

Postquam librorum Valerianorum codices C. Kempfii et Halpii curis excussi nostra aetate via ac ratione adhiberi coepti sunt, multi loci, qui antea desperati iacuerant, ab hominibus doctis feliciter emendati sunt. attamen non nulli inveniuntur, quos aut nondum recte emendatos aut falso contra codicum auctoritatem correctos esse existimo. de quibus quid sentiam nunc in animo est exponere.

1, 1, 12 Regulus ex victore speciosissimo insidiis Hasdrubalis et Xanthippi Lacedaemonii ducis ad miserabilem captivi formam deductus ac missus ad senatum populumque Romanum legatus, ut se et uno et sene complures Poenorum iuvenes pensarentur, in contrarium dato consilio Carthaginem petiit, non quidem ignarus

ad quam crudeles quamque merito sibi infestos deos reverteretur, verum quia iis iuraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos sese rediturum. potuerunt profecto dii immortales efferatam mitigare saevitiam. In his verbis postquam iam a librariis intellectum est ineptum esse deos, emendationem multi quaesiverunt, veri simile quod esset nemo invenit. cum Carthaginenses crudeles Reguloque infesti multis nominibus significari potuerint neque dici possit, quo potissimum verbo Valerio uti necesse fuerit, is demum corruptum vocabulum optime videbitur correxisse, qui et quod sententia maxime probetur protulerit et lenissima usus fuerit mutatione. non mirum existisse, qui vocem a codicibus traditam quamvis artificiosa argumentatione conarentur defendere. sed operam illi perdidit. neque vero opiniones probare possum eorum, qui deos e perversa interpretatione verborum, quae sequuntur, potuerunt profecto dii immortales efferatam mitigare saevitiam ortum esse arbitrati deleverunt. non eicienda est vox, sed emendanda. coniecturarum autem, quae ab hominibus doctis prolatae sunt, ut dominos a Perizonio, eos a Lipsio, Poenos a Torrenio, nulla vera haberi potest, easque magis ob auctorum nomina quam ob ipsarum praestantiam commemoravi. omnium maxime editoribus placuit hostes, quae est vetus coniectura cod. E. ea enim auctoritate Ciceronis commendatur, qui de off. 3, 25, 99 haec habet neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem proficisci. sed tam tritum vocabulum isto modo vix potuisse depravari mihi manifestum est. aliud quaerendum est, et vide, ne forte scribendum sit tortores, quae vox Valerio usitata est cf. 3, 3 ext. 5. in Theodoto Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigavit. 9, 2 ext. 10 Etrusci amari vitae ac mortis tortores. atque ut eadem commendatio meae emendationi, quae codicis E., accedat, locum Horatii adferam, cui eam debeo, carm. 3, 5, 49. atqui sciebat (Regulus), quae sibi barbarus tortor pararet; non aliter tamen dimovit obstantes propinquos et populum reditus morantem.

1, 1 ext. 4 in verbis excepta magni ponderis aurea cratera Kempfius et Halmius cratera scripserunt, quamquam in cod. B. cretera, in Paridis Vaticano creterra traditum est. neque vero hae formae repudiandae sunt; eas enim saepius apud scriptores Romanos inveniri docet Nevius *Fermentlehre* d. lat. *Sprache* I p. 332 cf. Cic. *Fam.* 7, 1, 2, ubi Baiterus e Mediceo craterarum scripsit. neque adsentiri possum doctis hominibus, qui 1, 7 ext. 4 Atym e Vaticano Paridis scripserunt, etsi in Bernensi exstat Atym. substantivorum enim in ys exeuntium casus accusativus modo in ym, modo in yn cadit, cf. *ibid.* p. 323, ubi adferuntur Cotym Nep. *Timoth.* 1, 2; Livius 45, 6, 2; Halym Verg. *Aen.* 9, 765 alia. — iniuria Halmius pro iocineris, quod 1, 6, 8 et 9 in cod. B. exstat, iocineris scripsit, quae forma uno tantum loco apud Valerium 3, 7 ext. 6 et apud Paridem 1, 6, 8 invenitur. equidem utrumque retinendum esse puto. cf. 8, 1 amb. 1 fuste et 6, 3; 9 fusti, itemque 5, 3 ext. 3 Themistoclea et 7, 2 ext. Themistoclen (P. Themistoclea). — neque recte Halmium suspicatum esse puto, scripturam cod. B. recte emendam esse in resti (P. reti). nam huius formae duo tantum exempla inveniuntur cf. Nevius l. p. 218, qui adfert Donat. 2, 10, 3 p. 1751 et Remm. Pal. p. 1374.

Pergimus ad 1, 7, 8. Haterius Rufus, qui inter quietem retiari manu se confodi viderat, postero die, cum gladiatorium munus Syracusis ederetur, in spectaculo consessoribus somnium narravit. incidit deinde, ut proximo ab equite loco retiarius cum murmillone introduceretur. cuius cum faciem vidisset, idem dixit ab illo retiario trucidari putasse, protinusque inde discedere voluit. illi sermone suo metu eius discusso causam exitii misero at-

tulerunt. quae verba sic a Valerio scribi vix potuisse, primus intellexit Eberhardus, qui l. l. p. 160 pro idem, quod, cum nimis langueat, mendosum videatur, ab eodem illo r. exspectari dicit; ipse proponit idem statim. Kempfius doctum hominem sano iudicio mendi sedem vidisse l. l. p. 30 adsentitur, emendandi conatum improbat. sibi enim ait non dubium esse, quin scribendum sit isdem. pronomen enim ad consessores referendum esse, ad quos spectet etiam, quod paullo post sequatur, illi, quod pronomen longius remotum videatur ab eo vocabulo, quo pertineat, nisi isdem recipiatur. mea quidem sententia nihil refert, eundem Rufum, qui retiarium per quietem sibi visum agnoverit, significari aut eosdem consessores, qui spectaculo interfuerint, sed eundem retiarium, quo viso Rufo dubium non fuit, quin sibi mors immineret. itaque priore Eberhardi emendatione accepta scribendum esse puto eodem dixit ab illo.

3, 2, 2 haec sunt in libris immemorem me propositi mei Cloelia facit, paene eadem tempestate, certe adversus eundem hostem et in eodem Tiberi inclyta ausa facinus. inter ceteras enim virgines obses Porsennae data hosti, nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit. In his verbis in vocabulo hosti, pro quo non probabiliter Halmium data, hostium nocturno tempore custodiam egressa coniecisse haud immerito Kempfius censet, haud scio an verbum lateat, quo significetur Cloeliam clam vel astute custodiam egressam esse. quid ipse proponam, non in promptu est. conferas Liv. 2, 13, 6 Cloelia virgo, una ex obsidibus, cum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit. Flor. 1, 10, 7 una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat. Auct. de vir. ill. 13 Cloelia deceptis custodibus noctu castris eius egressa equum adripuit. Nepotian. 21, 2 Cloelia obses quippe Porsennae data vigiles fefellit et conscenso equo per Tiberim Romam rediit.

3, 3 ext. 4. Anaxarchus, cui Nicocreon, in quem quamvis atrociter cruciatus maledicta conicere non desisteret, amputationem linguae minabatur, protinus dentibus abscisam et conmanducatam linguam in os eius ira patens expuit. multorum aures illa lingua et in primis Alexandri regis admiratione sui adtonitas habuerat, dum terrae conditionem . . . expromit. paene tamen occidit gloriosius quam vixit, quia tam forti fine inlustrem professionis actum conprobavit, Anaxarchique non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem. Eo loco qui corrupta verba non vitam modo deseruit ita sanare studuerunt, ut aut eo aut non inserebant, eos recte Foertschius sententiam loci perspexisse negat. languide enim eam linguam, quae multorum et clarorum hominum aures summa sui admiratione obstupefactas habuerit mortemque philosophi vita clariorem reddiderit, a scriptore dici vitam deseruisse. quapropter ille coniecit decoravit. Quae coniectura probabilis quidem Halmio videtur, sed non digna tamen, quae in ordinem recipiatur. Cui equidem adsentior, nam qui fieri potuerit, ut decoravit in deseruit depravaretur, non intellego. vide, quod mihi in mentem venit, ne id sit probabilius. suspicor enim scribendum esse honestavit. prima syllaba dempta; quae facile ob antecedentes literas do interciderere potuit, eundem literarum numerum invenies.

5, 2, 1 in hisce verbis atque ut a publicis actis ordiar, Marcium patriae conantem admotoque portis urbis ingenti Volscorum exercitu funus actenebras

Romano imperio minantem Veturia mater et Volumentia uxor nefarium opus exequi precibus suis passae non sunt. verba patriae conantem aperte corrupta homines docti variis coniecturis emendare conati sunt, quorum alii intercidisse aliquid arbitrati supplementa intruserunt velut Kempfius patriae expugnationem conantem et Halmius patriae arma inferre c., alii verba ipsa correxerunt. Ac Foertschius quidem coniecit scribendum esse patria carentem. equidem proponam patriae irascentem, cf. 5, 4, 1 Veturia, Coriolani mater, Volumentiam uxorem eius et liberos secum trahens, castra Volscorum petiit. quam ubi filius aspexit, 'expugnasti' inquit 'et vicisti iram meam, patria, precibus huius admotis, cuius utero quamvis merito mihi invisam dono', continuoque agrum Romanum hostilibus armis liberavit. Liv. 2, 35, 6 damnatus absens in Volscos exulatum abiit, minitans patriae hostilesque iam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere, benigniusque in dies colebant, quo maior ira in suos eminebat, crebraeque nunc querellae nunc minae percipiebantur. hospitio utebatur Atti Tulli... ita cum alterum vetus odium, alterum (Coriolanum) ira recens stimularet cet.

5, 6, 8 in vv. quos ob insignem pugnam Beneventi manu miserat Eberhardus l. l. p. 163 pugnam Beneventi ne a Valerio quidem dici potuisse ratus pugnam Beneventanam scribendum esse suspicatur. sed homo doctus vereor ne quod latinum est damnare conetur; vide enim, quid Kleinius in libello scholastico, quem a. 1866 Cleviae de genetivi usu Liviano edidit, p. 15 dicat: frequentissima haec sunt: pugna Cannensis, Alliensis, alia, quamquam saepe Livius genetivo locum pugnarum indicat: pugna Cannarum, Trasymenni, Trebiae.

6, 1, 6 haec scripta sunt dicerem censorium virum nimis atrocem exitisse, nisi P. Atilium Philiscum in pueritia corpore quaestum a domino facere coactum tam severum postea patrem cernerem. filiam enim suam, quod ita stupri se crimine coinquinaverat, interemit. In his verbis pro mendoso ita, quod in cod. B. exstat, ab Halmio ipsa scriptum est. haud scio, inquit, an aptius sit quod ipsa se coinquinaverat; pater enim puellae a domino ad stuprum coactus esse narratur (em. V. p. 27.), neque vero iure ille filiam a patre ideo interfectam esse putat, quod non ut ipse ab alio ad stuprum coacta, sed suae libidini obsecuta esset. quid scriptor sentiat, extrema huius exempli verba docent quam sanctam igitur in civitate nostra pudicitiam fuisse existimare debemus, in qua etiam institores libidinis tam severos eius vindices evasisse animadvertimus? is igitur tantum abest ut patrem ignotum fuisse filiae dicat, si non ipsa se voluptatibus dedisset, ut severitatem Philisci summis laudibus ornet, qui filiae stuprum, etsi ipse puer idem commiserat, morte luendum esse putaverit. neque minus aliorum emendandi conatus, qui aut ista aut item coniecerunt, displicent. equidem hanc vocem, qua ommissa oratio bene procedit, delendam esse puto.

In his, quae 6, 5 ext. 4. scripta videmus Charondas Thurius ad vim et cruorem usque seditiosas contiones civium pacaverat lege cavendo ut, si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. interiecto deinde tempore e longinquo rure gladio cinctus domum repetens cet., vellem scire, quomodo homines docti rure intellexerint, ego non intellego. quid scribendum sit, Paris docet, cuius haec verba sunt forte ex longinquo itinere veniens. itaque scribendum esse

puto itinere pro rure. sed in epitomatoris quoque verbis mendum tollendum est. scribe reveniens.

6, 8, 1 M. Antonii servus, quod quamvis verberibus laceratus lamminisque candentibus ustus, ut dominum incestum fecisse fateretur, constanti animo omnes cruciatus pertulit, omnem vim accusationis custodita rei salute subvertit. in his Eberhardus l. l. p. 163, quod de ratione, quae inter servum et reum intercedat, sermo sit, pro rei scribere vult heri. equidem, etsi hoc exemplum primum est eorum, quibus Valerius etiam servorum, qui sua ipsorum vita salutem dominorum potiore duxerint, fidem, quae iustis laudibus eferatur, dignam esse docet, tamen rei vocabulum ab omnibus codd. traditum adduci non possum ut in heri mutandum esse censeam. etenim quem Antonium initio exempli incesti reum factum esse videmus, eiusdem rei salus a servo dicitur custodita esse. neque heri vocabulo Valerius usus esset, si id, quod Eberhardus vult, exprimere voluisset, sed domini. illud enim scriptor, quod ego sciam, et si fides indici verborum a Torrenio composito habenda est, nunquam usurpavit.

7, 2 ext. 10 haec in libris sunt age, Philippi quam probabilis epistola, in qua Alexandrum quorundam Macedonum benivolentiam largitione ad se adtrahere conatum sic increpuit: 'quae te, fili, ratio in hanc tam vanam spem induxit, ut eos tibi fideles futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui contulisses?' a caritate istud pater avus o Philippus maiore ex parte mercator Graciae quam victor cet. in quibus verbis intellegi non potest, quod in cod. B. exstat avus o. ad sanandum locum varia temptata sunt. Perizonius coniecit conpulisses, non caritate? istud pater eius. Foertschius qua caritate istud pater nato suo. sed horum neutrum probari potest. nam corrupta verba coniectura sananda esse puto, non, ut aliqua efficiatur sententia, sana mutanda. quod etsi Halmius conatus est, qui proposuit pater: at rex Philippus, tamen ipse, num verum excogitaverit, videtur dubitare, quippe qui hanc emendationem in ordinem verborum non receperit. mihi, si quid licet in loco tam desperato suspicari, exquisitius aliquid videtur scriptum fuisse velut a caritate istud pater mutuatus est Philippus. cf. Liv. 30, 12 fin. ab amore temerarium atque impudens consilium mutuatur. nec est a Valerio hoc verbum alienum cf. 7, 4, 3; 2, 7, 12 aliquid ab alienissima crudelitate amaritudinis mutuari.

Transeamus ad 8, 1 amb. 1, ubi haec in bonis libris sunt, atque ut eos quoque referamus, qui in discrimen capitis adducti neque damnati neque absoluti sunt, apud M. Popilium Laenatem praetorem quaedam, quod matrem fuste percussam interemerat, causam dixit. de qua neutram in partem latae sententiae sunt, quia abunde constabat eandem veneno necatorum liberorum connotam, quos avia filiae infensa sustulerat, parricidium ultam esse parricidio. quorum alterum ultione, alterum absolute non dignum iudicatum est. in his extrema verba nemo non videt corrupta esse; facinus enim aviae a iudicibus ultione dignum iudicatum est. lenissima igitur mutatione Pighius locum sanavit, cum e duobus codd. interpolatis post ultione insereret dignum. cui Kempfius ita adsentitur, ut, quod damnum archetypo inlatum sit, id hac ratione optime sarciri censeat, sed parum eleganter idem verbum dignum bis proferri obiciat. Halmius non inclusit Paridis, nisi fallor, auctoritate motus, qui exemplum ita enarrat quaedam, quod matrem interemerat, dicta causa absoluta est, quia con-

stabat eam veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos avia filiae infensa sustulerat. sed epitomator quod dicit feminam a iudicibus absolutam esse, a Valerio dissidet, qui a iudicibus, cum haerent, damnarentne eam an absolverent, iudicium negat editum esse. atque haec sententia iis, de quibus disputamus, verbis exprimenda erat. debebat enim haec fere scriptor dicere quorum alterum ultione, alterum neque absolutione neque damnatione dignum iudicatum est. sed cum tot verba intercidissee veri dissimilimum sit, in emendatione Pighii, dum melius quid inventum sit, adquiescamus necesse erit.

8, 11 ext. 4. in hisce verbis cuius (Volcani) coniugem Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Cnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis a libidinoso complexu parum tutam. quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equae hinnitum edere coactus est, et canum latratus aspectu picti canis incitatus taurusque ad amorem et concubitum aeneae vaccae Syracusis nimiae similitudinis inritamento compulsus Halmius pro vocabulo error, quod, utcumque sit tolerabile, tamen, cum in cod. primario A. in rasura scriptum sit, dubitationem moveat, sententiae convenientius dicit videri fervor (em. V. p. 30.). et videtur haec emendatio probabilis. nam si exemplo, quo hominis libido aspectu Veneris marmoreae excitata esse dicitur, simile equi exemplum adnectitur, qui picturam equae equam ipsam esse ratus hinnitum edidit, non error equi videtur excusabilior dicendus esse sed fervor. verumtamen homo doctus erravit. suis se verbis ipse scriptor defendat. dicit enim paulo post in eodem exemplo quid enim vacua rationis animalia arte decepta miremur, cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis liniamentis excitatam videamus? ergo si ars id potuit efficere, ut homo ratione praeditus marmoreae Veneris cupiditate inflammaretur, nonne equi error excusandus est, qui rationis expers equam pictam vivere putavit? fervor bestiarum, quippe quarum libidines ratione non coerceantur, per se semper excusandus est.

Nondum sanatus est hic apud Valerium locus 8, 8, 2 Scaevola optime pila lusisse traditur, quia videlicet ad hoc devorticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. alveo quoque et calculis interdum vacasse dicitur, cum bene ac diu iura civium et caerimonias deorum ordinasset. ut enim in rebus seriis Scaevolam, ita in lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. In his verbis quum ante lusibus in cod. B. scriptum sit scelus (b. sceuis), nemo fere eorum, qui in his libris emendandis operam conlocaverunt, emendationem corrupti huius vocabuli non quaesivit. quas quidem emendationes omnes enumerare et longum est et inutile. Halmius, qui Vahleno auctore scelus delevit, facillime nodum expedit. sed hanc rationem, qua, quod insanabile videatur, id amputetur, tantum abest ut probemus, ut iterata loci pertractatione censeamus experiendum esse, si quod sit veri simile eruere queamus. Et eo quidem loco, de quo nunc agimus, quod nuper placuit Eberhardo serenis, id non ineptum est, verum haberi non potest. nam quod seriis rebus optime lusus serenos dicit opponi, non perspexit, illud duobus verbis expressum unam quodammodo notionem efficere, cui lusus sit contrarius. serenis igitur otiosum est. Valerius, qui hoc capite, quod est de otio, id agit, ut strenuis hominibus, quod tempestiva laboris intermissione animi ad laborandum fiant vegetiores, otium interdum adpetendum esse doceat, primum exemplo Scipionis et Laelii utitur, qui litoribus conchulas et umbilicos lectitantes animi remissionibus adquieverint;

tum Scaevolam enarrat interdum alveo calculoque vacasse et in his lusibus hominem egisse eum, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinat. lusus igitur hoc loco idem valet quod animi remissiones et laborum intermissio. quam cum dicat tempestive hominibus instituendam esse, ut ad laborandum fiant vegetiores, haud scio an lusus quoque, quibus Scaevola opportuno tempore se dedit, dici possint tempestivi. Itaque scribatur tempestivis lusibus.

Quamquam ab hominibus doctis collocationis verborum audacioris saepe apud Valerium non nulla exempla passim adlata sunt, nemo tamen adhuc inventus est, qui hunc locum ad sermonis Valeriani proprietatem intellegendam necessarium accurate tractaret. quo factum est, ut multa, quae scriptor liberius adfectione quadam dixisset, cum ferri non posse viderentur, iniuria corrigerentur. e quibus unum locum eligam, nam quominus totam materiem absolvam, terminis huic libello constitutis impedior. de quo quidem loco ut recte disputari possit, paullo altius repetendum est.

Valerius non nunquam, quae inter se cohaerent, verba de industria quaesito artificio aut ita traicit aut aliis verbis interpositis diiungit, ut oratio obscura existat et contorta. quod quidem non satis adtenderunt homines docti, qui 2, 2, 9 horum verborum ordine facto sacrificio caesisque capris epularum hilaritate ac vino largiore provecti, divisa pastoralis turba, cincti obvios pellibus immolatarum hostiarum iocantes petiverunt offensi sunt. Nam Kempfius ad h. l. 'iam si probum est illud obvios', inquit, 'falso tamen loco nunc comparet, nec male in editionibus transpositum est post iocantes. sed fortasse etiam, ut Torrenius suspicabatur, sola verba cincti et obvios sedem permutare debent. res valde incerta est.' idem Halmius iudicat. sed nihil mutandum. videamus alia exempla. 3, 4, 3 in his verbis in Tullio vero fortuna praecipue vires suas ostendit, vernam huic urbi natum regem dando alii scriptores vernam natum huic urbi regem dando dixissent, atque ita scribendum esse Lipsius et Colerus coniecerunt. Torrenius quidem nihil mutandum esse dicit, cum eo consilio Valerius hoc insolito verborum ordine usus sit, ut indicaret, Tullium non solum urbi Romae datum esse regem a fortuna, sed etiam ipsum natum fuisse urbi vernam. quasi vero id maius sit, quam si alienae urbi verna fuisset. sed agnoscenda est proprietas elocutionis Valerianae, non excusanda. idem statuendum est de iis, quae Kempfius ad verba 9, 2 ext. 2 ut aequae terrestrium scelestum Carthaginiensium copiarum egressum terra quam maritimarum Neptunus experiretur adnotavit, contritum illum quidem verborum esse ordinem neque tamen plane reiiciendum, praesertim cum defensionem haberet in oppositione illa, quae esset inter terrestres et maritimas Carthaginiensium copias. neque Eberhardo (l. l. p. 163) adsentior, qui 5, 8, 3 in his verbis utrique parti per totum biduum vacavit ac tertio plenissime die diligentissimeque auditis testibus ita pronunciavit vocabulum die, quippe quo male verba diligentissime et plenissime dirimerentur, censuerit delendum esse; itemque Paridis verborum ordinem 1, 6, 2 cum in Hispania capite ignis contionantis eluxisset, in quibus idem homo doctus p. 160 vocabula ignis et contionantis transponi iussit, retinendum esse puto. cf. 7, 2 ext. 11 dum Alexandrum Persica Macedonem salutatione gaudentem obiurgat. 3, 8, 2 Q. Fabius Maximus compluribus iniuriis lacessitus in eodem animi habitu mansit nec unquam sibi reipublicae permisit irasci. 9, 5 ext. 2 etiamsi victori repetere ei regiam contigisset. 8, 7 ext. 3 quoque tempore a studiosis iuvenibus certatim Athenae Platonem doc-

torem quaerentibus petebantur. 2, 2, 1 Q. Fabius Maximus P. Crasso rus petens domum revertenti in itinere narravit. 5, 3 ext. 3 huius tamen summoti ab Atheniensibus Scyros, exule minor insula, ossa mortui cepit. 4, 1 ext. 6. Pittaci quoque moderatione pectus instructum. 6, 8, 7 contentus essem huius exemplis generis. 2, 9 in partarum rerum caelo cumulus aequatus. 6, 2, 8 sed non patitur nos hoc longiore querella prosequi personae insequentis aliquanto sors humilior. 7, 7, 7 multo Q. Metellus praetorem urbanum severiorem egit. 1, 6, 1 Anci regis Marci uxor. 1, 6, 10 cum collega suo dissidens Cinna, 1, 7, 4 plebeis quidam ludis pater familias. 3, 3, 1 immolantem ante altaria conatus occidere est. 5, 3 ext. 3 patria iussus excedere est. 8, 1 absol. 5 ausa petere est. non nunquam relativas quoque enunciationes scriptor insolentius ab iis, quibus explicandis inserviunt, verbis diiungit. cf. 4, 7 ext. 1 cum is tempus ab eo, quo, priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetravisset. 5, 1 ext. 6 facta mentione acerrimi eius hostis mansuetudinis eius operibus, quam Romano nomini praestitit, locum, qui inter manus est, finiam. haec insolentioris verborum collocationis exempla qui inter se comparaverit, Perizonium errasse intellet, qui in vv. 8, 14 ext. 2 Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo, ex auctoritate Democriti praeceptoris innumerabiles mundos esse referenti, 'heu me' inquit 'miserum, quod ne uno quidem adhuc sum potitus'. angusta homini possessio gloriae fuit, quae deorum omnium domicilio sufficit, vocabulum gloriae delevit. nam recte ille possessionem gloriae negavit dici posse omnium deorum domicilio sufficere, minus recte hanc sententiam ex Valerii verbis effici sibi aliisque ut Kempfio et Halmio persuasit. enunciatio enim relativa quae ... sufficit ad possessio, non ad gloriae referenda est. haec cum scripsissem, in manus meas Foertschii prior commentatio venit, quem eodem modo hunc locum explicavisse video. quod idem vir doctus hominis pro homini proposuit, ea necessaria prope emendatio videtur esse. — Haec dixi brevius, quam si hac de re una disputarem, — est enim hic locus late patens de collocatione verborum — sed longius aliquanto, quam instituta ratio postulabat.